

Wc
1021





A. 68, 38

Wc
1071

ORATIO PANEGYRICA

DE
CIVIVM FELICITATE
EX FAMILIAE REGNATRICIS
PERENNITATE

AVSPICATISSIMIS NATALIBVS
SERENISSIMI DVCIS

CAROLI AVGVSTI

TERRARVM SAXO VINARIENSIVM
ET ISENACENSIVM

PRINCIPIS HEREDITARII

CONSECRATA

ET

IN CONSESSV ACADEMIAE SPLENDIDISSIMO

SOCIETATIS LATINAE

QVAE IENAE FLORET

NOMINE HABITA

AB

ADOLPHO CHRISTIANO ERNESTO

AB VFFEL

EQVITE MISNICO.

IENAE MDCCLVII.

LITTERIS SCHILLIANIS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(GALLE)



1872

GRATIA TIBI

CIVILIS
EX FAMILIA
PROMPTA

ANNO DOMINI
MDCCLXXII

CAROLI AUGUSTI

PRINCIPIS ELECTORIS

SALEXBURGENSIS

COMITIS

IN COMITATU

SALEXBURGENSI



LIBRARIUS

DE VITIS

FOUR

ANNO

LIBRARIUS



REVERENDISSIMO
ATQVE ILLVSTRISSIMO
DOMINO
HENRICO
S. R. I. COMITI
DE BÜNAU

DOMINO IN DAHLEN, DOMSEN, NOETTNITZ,
OSMANNSTAEDT, GOELLNITZ ET
GROSTAVSCHWITZ,

VTRIVSQVE CAESAREAE MAIESTATIS A CONSILIIIS INTIMIS,
TERRARVM VINARIENSIVM ATQVE ISENACENSIVM SVMMO
PRAESIDI EARVMDEMQVE SERENISSIMI PRINCIPIS MINISTRO
SVPREMO, STATVVM VINARIENSIVM ET ALTENBVRGEN-
SIVM DIEECTORI, ORDINVM REGII SVECICI SERA-
PHINI ET IOANNITARVM EQVITI.

PATRONO SVO AETERNVM
SVSPICIENDO

SOLEMNEM HANC ORATIONEM.

D. D. D.
CLIENS DEVOTISSIMVS
AVCTOR.

REVERENDISSIMO
ATQVE ILLVSTRISSIMO
DOMINO
HENRICO
S. R. I. COMITI
DE BAVARIA

DOMINO IN PALEIS, DOMEN, NOETINIZ
OSMAN, TADT, GOELLITZ ET
GROSSAUSCHWITZ
ATQVE CANONICAE MAJESTATIS A CONSILIO PLENO
TERRETIUM VIMARIIENSIS ATQVE I. ENACENSIS SVB
PLACITO PONTIFICIS SESSORII PRINCIPIS MINSIO
SICUTI STATIM VIMARIIENSIS ET ALLDORFENSIS
SVM DELEGATI, QVOD LITTE RESE SVB
TINI ET JONATHANAE EGITTE

PATRONO SVO ALTRINUM
SVSPICENDI
SOLLENNEM HANC ORATIONEM

ALTEOR
GENS DEUTINIVS



REVERENDISSIME ATQVE ILLVSTRISSIME
COMES
PATRONE AETERNVM COLENDE.



Cum, qui scriptionis patrociniū circum-
spiciunt, eos potissimum eligant, qui-
bus et argumentum optime conuenire
confidunt, et quos Musarum protecto-
res munificos sua constituit virtus, non possum IL-
LVSTRISSIME COMES, quin TIBI demisso animi
A 3 cultu

cultu hanc meam orationem panegyricam offeram
facramque esse velim, quippe quae et pro argumen-
ti sui ratione VIRO, de rerum Vinariensium felici-
tate immortaliter promerito, haud videtur indigna,
et quae tutius faciliusque, quo nitatur, praesidium
inuenire potest nullibi, quam apud TE, quem, ficu-
ti ego salutis auctorem statoremque demisse veneror,
ita alium Musarum decus atque liberalissimum tuto-
rem praedicat orbis eruditus vniuersus.

Ego vero votorum omnium summam attigisse
mihi videbor, si primum hocce demississimae in SE-
RENISSIMAM DOMVM VINARIENSEM pietatis documen-
tum, idemque perquam leue virium mearum spe-
cimen grauissimo TVO suffragio condecorare haud
iueris grauatum, meque inter eos esse patiaris, qui-
bus ILLVSTRISSIMI TVI NOMINIS gloria, animi-
que deuotissimi iuxta ac gratissimi religione nihil
est prius nihilque antiquius. Dabam Ienae die
XX. Octobr. MDCCLVII.

MAGNI-



MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR
COMITES ILLVSTRISSIMI
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
VIRI SVMME REVERENDI, ILLVSTRES, CONSVLTIS-
SIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI
SODALES VTRIVSQVE VERNACVLAE ET LATINAE
LINGVAE CONSERVATORES STRENI
AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI.



Si qua vmquam eorum, quae inter se
conferri aequarique solent, apta
fuit collatio, aut si qua est ipsarum
rerum humanarum vera similitudo,
nullam ego maiorem nullamque perfectiorem inter-
cedere



cedere iure meo existimo, quam inter hominum corpus eorumque respublicas. Quemadmodum enim in illa, quam corpus vocamus, machina insignem inuenimus varietatem partium, quarum vna vigore, pulcritudine atque dignitate praestat alteram; aut quemadmodum eas omnes tam arctissimo vinculo inter se cohaerentes colligatasque deprehendimus, vt non sine admiratione atque stupore mirificum earum consensum egregiamque conpirationem, qua, qui vni earum dolor infertur aut motus, ad reliqua se extendit totumque fere propagatur in corpus atque diffunditur, possimus intueri: aut quemadmodum reliquorum membrorum salutem in vnius capitis integritate aut fragilitate contineri animaduertimus: ita eorum omnium singularem prorsus in rebus publicis expressam conspiciamus imaginem. Quanta hic quamque miraciuium diuersitas! Sunt, quos generis splendor fortunaeque benignitas supra communem sortem euectos excelsiori honoris fastigio collocavit. Sunt, quos ad humilem obscuramque vitae conditionem deturbavit sua fors. Sunt, qui ab vtraque fortuna pari distant intervallo. Neque tamen minus omnes ac singuli



guli commune quoddam habent vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur. Praeter enim ea, quod ipsa hominum confociatio arctius vitae fortunaeque parit consortium, illi qui communi reguntur imperio et legibus ac moribus fruuntur similibus, ita inter se sunt coniuncti, ut nihil fere in republica eueniat, nihil prospere aut male geratur, quod non ad omnes aequae fere pateat. Licebit, Auditores, rem exemplo illustrare, quod quidem, licet non nisi votis sit annumerandum, tamen iam nunc futurae gaudii fructum nobis praeflorat, quodque si exstiterit optimum quemque iucunde mouebit suauiterque trahet. Fingatis, quod ardentissime precamur, saeuissimis belli, quo nunc cara patria exardescit, insultibus finem imponi, fingatis Germaniam tot tantisque cladibus diuexatam, dirutam ac plane collapsam in pristinam salutem firmamque securitatem restitui, an ciuium quemdam existimatis tam barbarum tamque ab omni humanitatis sensu alienum, quin ea propter iucundissime commoueatur, effuse gaudeat, palamque laetitia exsultet? Hic profecto, si quo vmquam alio loco, licet videre, quantum ciuium quisque com-

B

muni



muni salute contineri suam et ex reipublicae tranquillitate felicitatem pendere omnium arbitretur. Contra communi tristitia afflictos conspicimus omnes, si quod graue cepit detrimentum respublica. Experire hoc cum alias, tum vero vel maxime, quando intuebere mecum tristes bonorum ciuium vultus, qui suae dignitatis ornamentum et suae stabilitatis praesidium perdiderunt, optimum principem, qui de augenda et conseruanda publica salute dies noctesque cogitauit, seque pro ciuium salute in impiorum hominum quotidianos impetus protulit. Quam tunc omnia deserta, quam horrida, muta, plena luctus moerorisque! Forum desiderio eius moestum, curia muta, bonarum artium studia silent. Clarum itaque est, atque extra omnem dubitationis aleam positum, lateri mutationum in republica euenientium motus in ciuium animis haerere tamquam comites indiuisos, eosque, cum ex communi nascantur consociatione, sese in vniuersos profundere. Quo quidem fit, vt tam turba pullata, quam illi, qui sedent in orchestra, iucundos rerum publicarum euentus non modo sentiant, sed illos vel maxime optent atque expetant, ingra-



ingratos contra horreant, fugiant quamque longissime fieri potest a republica propulsatos velint. Licet vero horum euentuum effectus ad omnes aequae pateat, magno tamen discrimine ipsi animorum motus inter se dissident. Quid enim a rudi inficetaque plebe expectabis, nisi quod eorum intuitu vnice conquietat, quae admissa per aures oculisque subiecta animos irritant. Sed longe alia eorum est ratio, qui maiori pollent rerum perspicacia et animi motibus ducuntur nobilioribus. Tantum enim abest, ut hi vnice in rerum euentibus intuendis acquiescant, ut potius animum in causis laetandi dolendique rimandis defigant rationesque exquirant, quibus iucundae animorum commotiones, cum alioquin fluxae essent et caducae, fiant diuturnae et quasi succrescant.

Satis diu harum rerum contemplatione Vos detinui Auditores. Nunc ad laetiora iucundioraque festino. Qui possim autem in laetius aliquid suaviusque cogitationem traducere, quam in euentum exoptatissimum, qui, cum accideret, omnium animos



incredibili perfunde-
 bat laetitia suaui-
 terque iam nunc
 demulcet, qui et cogitandi et in publicum prodeun-
 di copiam mihi fecit, qui Vos ipsos, Auditores, in-
 duxit, vt hunc actum splendidissima vestra et per-
 quam honorifica praesentia condecoratis, in euentum
 inquam, quem, quousque patet OPTIMI PRINCI-
 PIS ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI
 ditio, boni celebrant omnes, quem sacrum et aeter-
 nitati adsertum esse volunt. Quod enim precati a
 Deo Optimo Maximo ardentissimis votis sumus, Au-
 ditores, eo tempore, quum nos fortunasque nostras in
 vni~~us~~ INDVLENTISSIME PRINCEPS vita et in-
 columitate posita vidimus, vt si nostra saluti consulere
 velit Summum Numen, vitam ILLIVS conferuet
 tectam fartamque, si eminens atque singulare pror-
 fus beneficium in nos conferre velit, stirpem IL-
 LIVS SERENISSIMAM, masculis Heroibus exhau-
 stam atque iam prope deficientem nouas protrudere
 gemmas laetiusque mascula subole efflorescere sinat, id
 tandem nos immortalis Numinis beneficio consecutos,
 maxime laetamur, Auditores. Enixa est SERENIS-
 SIMA PRINCEPS ANNA AMALIA, Indulgen-
 tissima



tissima patriae Mater Principem Filium, inclytissimae, stirpis ERNESTINAE ac GVELFICAE progeniem, avitae virtutis heredem, paternae atque maternae mansuetudinis humanitatisque effigiem, ad Maiorum illustrissima exempla Heroa aliquando futurum, ingens populorum desiderium, civium communeque nostrum gaudium ac dulce decus. Vidimus, quam laete auspiciatissimus hicce nuntius prouincias nostras pervagaretur, quantumque serenitatis in omnium ore vultuque repanderet. Videremus, ni horridae armorum turbae obstreperent, quam aegre superfundenti se laetitiae temperarent ciues, quam illam voce manibusque significarent. Verum filet populus tremebundus, premit gaudia pectori inclusa! Ergone nos fileamus, quos communis laetitiae testes, participes, immo interpretes esse fortuna voluit. Quidni in successu hocce Musarum laetemur? Quam innocentes Musarum plausus votiui! Sed nec licet, nec decet iucundioribus tantummodo abripi motibus; fas est potius et aequum, vltius progredi atque in causas laetandi de fortunatissimo hocce euentu vberius inquire.



Pace itaque vestra, Auditores omnium ordinum
Honoratissimi, de

FELICITATE CIVIVM EX FAMILIAE RE-
GNATRICIS PERENNITATE

verba faciam. Quam quidem felicitatem variis ra-
tionibus ibo adstructum. Equidem non id meae di-
cendi cogitandique arti tribuo, vt aliquid in hoc ar-
gumento tam difficili et graui perficiam, quod poli-
tissimum vestrum suffragium mereri queat, quippe
quum rei ipsius grauitas exiguum virium mearum
modulum lonæ superet eoque impediatur, quo mi-
nus ea, quae dicenda sunt ne mediocriter quidem
enarrare, aut leuiter adumbrare possim. Verum
quid moror! Vestra tanta est, Auditores, in iudi-
cando facilitas atque humanitas, tanta, vt certissime
confido, in me beneuolentia, vt non, quid dici in
hac re debeat, sed quid fieri a me praestarique va-
leat, consideretis.

Miramur Auditores, atque est profecto, quod
miremur, qui fiat, vt, cum hominum genus in se
sit audax, domitu asperum, libertatis congenitae vin-
dex.



dex, magnorum cupidum, subiectionis aegre patiens, non tantum omne aequalitati a natura constitutae renuntiavit, pari iure parique dignitate frui deserit, iugum veluti cervicibus imponi patiatur atque nunc leniori interdum et mansuetiori, interdum vero duriori, immo feruili pareat vnus aut quorundam imperio. Neque minus mirandum est, quod, cum in ciuitates coirent, eo complures se adigi passim sint, ut imperium et quicquid dignitatis, iuris atque emolumenti inde pendet, in vnam conferre familiam atque in vniuersam illius progeniem protendere haud iuerint grauatum. Nonne plures ciuium eadem facultate eademque ad clauum reipublicae sedendi peritia instructi? Nonne complurium principatus affectandi eadem procliuitas? Quo igitur tantum pacto factum esse existimatis, Auditores, ut tantum opere a iurium, dignitatum commodorumque paritate discederent mortales, lubentesque eminentiora principatus iura in vnus hominis profapiam transferrent? Si qui vnumquam, illi profecto falluntur, qui mortalium in transferendis imperii iuribus consensionem a sola vi et familiae, imperium in reliquos affe-



affectantis, calliditate repetunt. Equidem haud eo infirias, multum valere versuta ingenia ad homines subiugandos constringendosque. Verum enim vero quid vnus aut quorumdam vis calliditasque contra omnes, qui sempiternis constringi vinculis reluctantur! Potestne hominum genus, quale est, tam vecors, tamque effeminatum concipi, vt, cum se ad libertatem paritatemque natum esse sentiat eamque contra aliorum molimina defendere possit, illam sponte negligat oscitanterque abiiciat? Eheu! quam lubricis fundamentis starent suffultae familiarum illustrium dominationes, si sola vi solisque caucitatis artibus continerentur! Quam subito vulgus ingenio mobili, discordiosum, cupidum nouarum rerum imperia vetera fastidiret, noua expeteret, reipublicae fulcra subrueret, adeoque florentissimas ciuitates ruina atque cruore compleret! Longe aliis superstructa est fundamentis mortalium in ciuitates coalitio longaque melioribus permoti fuerunt rationibus, quare imperii vim maiestatemque ad vniam familiam adstringerent. Nolo ego prolixius singulatimque perferre causas, ex quibus confociatio humana originem



nem repetit suam. Morabor solummodo patientiam vestram in rationibus enumerandis, quibus adducti ciues vnam praecipue familiam elegerint, cui imperii habenas regendas traderent. Quid quaeso suberat causae, cur regum origines a Diis deriuarent, quos prisca tulit aetas, populi? Quanam de causa Romulum a Marte genitum gloriabantur Romani? Quid sibi vult egregius ille rerum Romanarum scriptor Titus Liuius, cum, antiquitati eam veniam dandam esse, censet, vt, miscendo humana diuinis primordia vrbium augustiora faciat populoque licere, consecrare origines suas et ad Deos referre auctores? Quid quaeso constans illa, quae omnibus gentibus sedit opinio, inesse regibus suis sanguinis aliquid diuini? Certe nisi caecutire in re die clariore ac luce velimus, huic opinioni multum inesse ponderis confiteamur oportet ad rationes de summa potestate ad vnam familiam adstricta reddendas. Siue enim illam a superstitione, quae fusa per gentes op-

C

presse-



prefferat omnium fere animos hominumque imbecillitatem occupauerat, deriuus, siue illam veri ludificationem existimes, quae a viris politicis ad reprimendos ciuium motus fuerit excogitata, illam tamen magnam ac praecipuam ciuibus extitisse rationem deprehendes, quare vni prae caeteris familiae principatum concefferint atque ab illa recedere nefas duxerint. Quod quidem, si exempla desideres, inter antiquioris Germaniae gentes adeo erat frequens, vt ipsum hunc sanguinem diuinum non solum a masculis in subolem traduci, sed etiam per foeminas ex familia regnatrice natas, in alienam familiam transfundi firmiter sibi persuaderent. Videre hoc est inprimis in regum Francorum successionebus. Etenim posteaquam Caroli, quem Magnum vsurpant, mascula defecerat stirps ad eius progeniem ex sexu sequiori susceptam conuersa gens Francorum eos sibi imponi voluit reges, cum quibus sanguinis diuini, in familia regnante residentis, particulam per
matri-



matrimonia communicatam crederent. Inde est, si rationem Francicae successionis reddere velis, quod in Guidones, Ludouicos Bosonides, immo Ottones, Conrados aliosque deuolutum fuerit imperium. Neque haec opinio, licet vere sit politica, suis destituitur rationibus. Exploratum enim est, eos ab initio in primis rebus gerendis fuisse admotos, quibus aut fortiter praeclareque gesta nomen auctoritatemque dederant, aut qui egregie de republica meruerant, aut quos diuinior quaedam ingenii animique vis supra reliquos extulerat. Quid mirum igitur, quod, cum et animi dotibus et salute reipublicae procuranda diis haud dissimiles esse reges suos cerneret credula plebs, illis diuini aliquid sanguinis inesse sibi persuaderet. Quid mirum, quod, cum fortes creentur fortibus et bonis, vel eam maxime ob causam in liberos transmittere imperium constituerint, quia eosdem et animi indole et factorum celebritate parentibus simillimos fore confiderent.



Deinde vero, si haec non grauiā fatīs videantur, quo demum pacto imperantium maiestati maior sanctitas poterat conciliari, aut ciuū animis maior inspirari pietas, quam si haec mentibus eorum ingeneraretur opinio, reges suos diuino sanguine ortos, et in iis numen in terris conspicuum coli obseruarique. Quid magis ciues deterrere potest, ne reipublicae pestem machinentur, aut nefaria in principes consilia concoquant molianturque. Licet vero haec antiquiorum gentium opinio magna ex parte inter nos, clariori puriorique veri notitia collustratos, exoleuerit, tamen non omnis ex mente hominum deleta est atque proscrip̄ta illius memoria. Nihil antiquato illi populorum placito detractum est, nisi quod saeculi sui barbariem atque superstitionem redolebat. Nihil quidem sanguinis diuini inditum censemus uiris principibus, attamen excellentiora modumque communem longe excedentia animi ornamenta in illis suspicimus, quae cum sanguine quasi communi-

cari,



cari atque propagari arbitramur. Reueremur, ut in ipsis principibus, ita in eorum progenie Numinis sanctam inuiolabilemque imaginem. Deriuamus exinde pietatem in principes atque obsequium. Cum igitur haec mens a natura quasi indita sit ciuibus, ut familiam regnatricem diuina munitam auctoritate et prae reliquis principatu maxime dignam censeant, cum ad reipublicae salutem nihil tantum faciat, quam prona ciuium et alacris parendi voluntas, cum sine ista nullum imperium diuturnum, nulla dominatio constans, nulla salus sit explorata, quis est, quin videat, quantum felicitatis in rempublicam ex familiae regnantis augustissima redundet propagine atque perennitate.

Praetereamus antiquiora atque ad notiora accedamus, quibus demonstrari potest, quam auspicata sit rebus publicis familiae regnatricis propagatio atque perduratio. Facile quisque Vestrum mihi largietur, nec ciuitatum origines nec illarum stabilitatem explicari satis et adstrui posse, nisi pactum, quod vocant



originarium, praeſtruatur, quo homines in congrega-
 tiones ciuiles atque in imperantium electiones conſpi-
 rarunt. Quae ſi ita ſunt, vti reuera eſſe recta praeci-
 pit ratio, facile intelligitur, cur ciues non ad mo-
 rem ſolum principibus gerendum ſeſe obſtrictos pu-
 tent, ſed cur etiam a familia, rebus gerendis primum
 admota, quamdiu floret, recedere ſummae ſibi du-
 cant religioni. Quodſi igitur iſta floret familia prin-
 cept, quodſi capit incrementa, quodſi nobili creſcit
 progenie, numne id reipublicae intereſſe ſtatuamus?
 Immo puto; et quidni ita ſtatuamus? Sic enim in ci-
 uibus durat antiqua officiorum religio. Sic inconcuſſa
 ſtat atque non interrupta imperantium in ciuitate
 ſucceſſio. Sic ergo publica rerum conſeruatur tran-
 quillitas. Sic omnium, immo ſingulorum ſtabilitur
 quies atque felicitas. Sic cum familiae regnatricis
 perennitate ipſa perennat reipublicae ſalus.

Quodſi vel ab eo diſceſſerimus quod fides ciui-
 um atque pietas in principes ex familia imperante

ortos



ortos constet intemerata, non defunt alia, quibus sententiam nostram adstruamus. Fingamus, quod saepius re ipsa etuenisse testantur temporum monumenta, exhauriri atque deficere stirpem imperantem sua subole, quam reipublicae fortem, quam illius conditionem auguramini futuram? Illamne quietam atque fortunatam, aut potius finistris fortunae vicissitudinibus diuexatam existimatis? Fallimur, aut quoad longissime potest mens nostra respicere regnorum conuersiones et huius generis euentuum contemplari memoriam, inde vsque repetens, defectum familiae regnatricis videt et turbarum periculosissimarum et grauissimorum malorum exitiosam matrem extitisse atque scaturiginem. Quam incerta eorum, qui imperium circumeunt atque prehenfant, iura, quam variae, quamque pravae, regno potiundi, artes, quanta omnium rerum confusio, quantae ciuium dissensiones, quam inuida atque dissidiosa partium studia, quantae de principatu concertantium clades et calamitates, quantae



tae rerum publicarum ruinae! Quae cum omnia ciuium turbent salutem ac interuertant, felicem eam nominemus ciuitatem oportet, cuius imperia sunt firma et ob perpetuitatem familiae regnatricis haud quam interrupta.

Sed leuioris mihi momenti videntur, quae hactenus exposui, licet ad liquidum eorum veritas sit explorata. Maioris haud dubie ponderis magisque ipsi ciuium saluti consentaneum est illud, quod nunc persequar, aut potius delibabo. Quis est vestrum Auditores quem fugiat, principes, quibus per longum temporis spatium administrandae reipublicae anxius ac periculosus labor fuit impositus, magna cura magnoque cum successu in id posse eniti, vt animos ciuium, genium et indolem perscrutentur eosque in dies magis sibi concilient, vt regionum, quibus eorum circumscribitur ditio, naturam, locorum situs, facultates, diuitias, inopiam penitus perspiciant. In quo si meae sententiae subscribere nulli dubitatis, argumen-



gumentum inde depromam, cui ad meam sententiam corroborandam magna inest vis magnaue efficacia. Etenim quum summa reipublicae salus in eo versetur, vt leges ferantur, quas imperantis neque auaritia neque superbia excogitauit, sed quas ipsarum rerum ratio et necessitas postulare videtur, cum reipublicae maxime interfit, vt leges datas non inuiti excipiant ciues, sed illis lubenter obtemperent, manifestum est, meliores aptioresque condi non posse, quam ab illis, qui terrarum, quibus praesunt, conditionem, populorumque, quos regunt, mores penitus habent comperta, aut quorum mandatis obedire uolupte est ciuibus. Iam uero statim quisque colliget, neminem, uiris principibus ex familia, longam per annorum seriem gubernaculum tenente, ortis tutius atque facilius prouinciarum naturam explorare, aut se in ciuium amorem insinuare et immergere posse. Adest maiorum experientia, quae lucem praeferat quamque ducem sequantur. Adfunt patrum uestigia,

D

gia,



gia, quae nouus quisque princeps ex familia diu feliciterque regnante genitus derelinquere erubescit. Adfunt excitamenta fortissima, cur ad maiora potius adspiret, illosque, quibus aetate vincitur, laude vincere studeat. Adfunt exempla in illustri posita monumento, quae intueantur ac sequantur successores. Adminiculatur antiquus in antecessores amor atque confidens populi animus, quo efficitur, vt obedientia non extorqueatur, sed sua quemque voluntas alliciat et ita trahat, vt trahi se non sentiat quidem. Haec sunt vnica fere et profecto tutissima firmamenta, quibus superstruant legum efficaciam, iustorumque suorum auctoritatem principes. Sic ciues, dum imperio obsequuntur, suae felicitati velificari, dum legibus obtemperant, suae saluti consulere, dum principem audiunt, patrem diuturna experientia subactum audire, praecipere, hortari sibi videntur. Quid quae-
so optabilius fingi potest, quam vt eam de rerum suarum moderatoribus mentem concipiant ciues, illos



los nativa atque hereditaria ductos indole nihil agere, nihil cogitare, nihil moliri, nisi quod in civium commoda tendat atque cum publica salute mirifice conspiret. Quodsi tales principes ex stirpe placide prudenterque regnante exspectare solent immo sperare possunt ciues, quales hic celebramus, et quidni exspectent, quanta reipublicae est felicitas ex familiae regnatricis propagatione atque perennitate.

Sed quid Vos diutius moror, quid plura disputo? Tam sunt multa, quae hic proferri possunt, ut magis elaborandum sit, quid non dicatur, quam quid dicatur. Quum itaque, quod satis adstruximus, ex regnatricis familiae perennitate tam firma tamque stabilis rerum publicarum nascatur felicitas, quis est nostrum, quin eximie de eo letetur, quod Serenissima ERNESTINORVM VINARIENSIVM stirps, fauste clementerque nobis imperans novas fecerit perennitatis suae accessiones; aut quis videri nobis vertet, si diutius nobis temperare non possu-



mus, quin laetitiā hanc nostram palam; significemus eamque testem felicitatis, quam inde auguramur animoque praecipimus, publicum faciamus. Non est dissimulandum, Auditores, quod obscurari non potest, sed prae nobis potius ferendum, quod totus animus persentiscit. Trahimur omnes incredibili voluptate et optimus quisque auspiciatissimos SERENISSIMI DVCIS HEREDIS, CAROLI AVGVSTI, natales plaudit ouansque celebrat. Denotant hanc nostram mentem interpretanturque hilares omnium vultus serenaque trontes. Testificatur idem luculentissime haec eruditissimorum Virorum celebritas atque frequentia, qui mecum vno ore consentunt, nihil fortunatius nihilque optabilius nobis accidere potuisse, quam quod SERENISSIMA DOMVS VINARIENSIS, in qua tot ac tantos Heroas, tot Heroinas virili laude circumfluentes vidimus atque videmus, et vtiā diu florentes videamus, noua prosapia aucta efflorescat, sicque firmior quaedam



dam atque perquam blanda spes in optimis ciuibus
subnascatur, fore, vt Indulgentissima Haecce Stirps
ad feros vsque annos vigeat, floreat nobisque pro-
sperrimis vsa auspiciis dominetur.

Verum quid est, a quo hanc omnem laetandi
deque salute nostra futura bene ominandi deriue-
mus facultatem? Ad quemnam referamus acce-
ptum hoc tam eximium tamque illustre beneficium,
nisi ad Numen, quod rebus humanis interest bonos-
que principes terrae beandae causa ex coelo quasi
demittit. Persequamur itaque omnem gratiae refe-
rendae rationem, quo ostendamus, hoc beneficii ge-
nus in eos esse collatum, qui de agendis habendisque
gratiis seria compositaque mente cogitant. Verum,
quid nobis superest mortalibus, quo Tibi, Immor-
talis DEVS, gratias digne satis persoluamus, nisi ani-
mi gratissimi horumque Tuorum beneficiorum me-
moris sensus. Cuius quidem tanta est in nobis re-
ligio, quanta esse solet, cum est maxima, tantaque
D 3 illius



illius in nobis erit memoria, vt nulla vñquam ob-
 liuio illam fit captura aut aetas deletura. Tribues
 id bonorum ciuium precibus, vt, quae pro SERE-
 NISSIMAE DOMVS VINARIENSIS salute soluimus,
 vota rata esse iubeas. Vides, quam lubentes quam-
 que grati ea persoluamus. Ego certe haec vota
 nuncupaturus sincerissima sentio ipse atque experior,
 quam dulce sit et iucundum pro Principibus pias ef-
 fundere preces, quos in deliciis habet genus huma-
 num, quos toto pectore peramamus et pro quo-
 rum incolumitate votiuas suspendere tabulas popu-
 lus gemit vniuersus. Serues SERENISSIMVM DV-
 CEM, ERNESTVM AVGVSTVM CON-
 STANTINVM, DOMINVM meum longe Cle-
 mentissimum, Patrem gentis SVAE Indulgentissimum
 ILLVMQVE salutis nostrae auctorem statoremque
 esse sinas. Serues ILLVM diuissime incolumem et
 ab omnibus, quos temporum iniquitas minatur,
 fortunae insultibus tectum. Fortunam ILLIVS
 cum



cum *SVA* aequas virtute. Fausta sint et fortunata *ILLIVS* consilia, in primis ea, quae de ciuium *SVORVM* salute augenda amplificandaque quotidie concipit.

Conserues, Immortalis Deus, Serenissimam *DV-
GEM* ac *PRINCIPEM*, *ANNAM AMALIAM*, grande et incomparabile sexus temporisque *SVI* Ornamentum. Vitam largiaris *ILLI* atque fortunam summis, quibus prae reliquis omnibus exsplendet, virtutibus parem et in *Illius* exemplo commonestres, quam splendidis virtutem in his terris beare atque exornare soleas praemiis.

Tuearis atque benignissime foueas *SERENISSI-
MVM* *PRINCIPEM* *HEREDEM*, *CAROLVM* *AVGVSTVM*, *ILLVMQVE* ab omnibus tenerrimae iuuentuti minitantibus casibus protegas incolumem. Adspires *vtiusque* *SERENISSIMI* *PARENTIS* consiliis de *ILLO* liberaliter atque ingenue educando illisque exitus addas optatissimos. Sic tandem aliquando

QR No 1071

XXXII



quando eueniet, vt talem Eum Principem reuere-
amur atque colamus, qualem ex Familia felicissi-
me regnante auguramur. Sic Ille, quod animus
praefagit, Maiorum premet vestigia, et ad egre-
gia facinora perpetranda generoso ac masculo
proprietur impetu. Sic tandem cum Familiae be-
ne sapienterque imperantis perennitate felicitas no-
stra explorata erit atque perennis.



116

ULB Halle
005 039 72X


3





A. 68, 38

Wc
1071



ORATIO PANEGYRICA

DE
CIVIVM FELICITATE
 EX FAMILIAE REGNATRICIS
 PERENNITATE

AVSPICATISSIMIS NATALIBVS
 SERENISSIMI DVCIS
CAROLI AVGVSTI
 TERRARVM SAXO VINARIENSIVM
 ET ISENACENSIVM
 PRINCIPIS HEREDITARII

CONSECRATA
 ET
 IN CONSESSV ACADEMIAE SPLENDIDISSIMO
SOCIETATIS LATINAE
 QVAE IENAE FLORET
 NOMINE HABITA
 AB
ADOLPHO CHRISTIANO ERNESTO
 AB VFFEL
 EQVITE MISNICO.

IENAE MDCCLVII.

LITTERIS SCHILLIANIS.

